

cati si simul operetur : sed præterea respondeo A quod Bellarminus lib. 4. de grat. & libero arbit. cap. 14. hanc Almaini propositionem : concursus Dei non est de prærequisitis, dicat esse falsam. Denique respondetur Almainum hoc non dicere assertivè ; loquitur enim sub disjunctiōe : *Dico quod Deum velle non est prævium sed concomitans & simul se habens ; vel dico quod omnibus positis prævius necessariò prærequisitus, supple qua ex parte illius agens est in potestate illius producere vel non producere actum.* Ob. 3. qui causat actum quo homo est deterior, eo auctore sit deterior, ergo si Deus causat actum peccati quo homo est deterior, sit Deo auctore deterior. Antecedens habetur ex lib. 8. 3. quæst. August. q. 3. *Resp.* antecedens non sic haberi in August. Ibi enim solum concludit quod homo non sit Deo auctore. i. Deo volente deterior quia de Deo dici nequit quod velit hominem esse deteriorem. Ut tamen ad antecedens aliquid respondeatur dicit Capreoli dicta dist. 37. *Ad hoc quod defectus culpabilis consequens actum imputetur agenti, non sufficit quod agens producat actum, & quod habeat dominium illius actus, & quod non ignoret defectum ; imò ultra hoc requiritur, quod agens debeat & teneatur vitare talem defectum, & causare oppositum illius defectus : Item quod agens cui talis defectus imputatur, velit aliquo modo illum defectum. hoc autem in Deo locum non habet.* Ob. 4. Homo non est causa peccati nisi C quia est causa actus peccati, ergo si Deus est causa actus, est etiam causa peccati. Antecedens probabatur, quia nullus intendit peccatum ipsum, cum sit malum. *Ad hoc argumentum respondet D. Th. 1. 2. q. 79. art. 2. ad 2. & q. 3. de malo art. 2. ad 1. negando antecedens : quia homo qui peccat, licet per se non velit deformitatem peccati, tamen deformitatis peccati aliquo modo cadit sub voluntate peccantis, dum scilicet magis eligit deformitatem peccati incurrere, quàm ab actu cessare.* Ob. 5. Qui est causa antecedentis est causa consequentis, ergo si Deus præmoverit ad actum peccati est causa peccati sequentis. *R. negando antecedens, datur enim instantia in antecedente logico, & D etiam in physico. In illo, huius antecedentis, ego video Petrum currentem, ego sum causa, nec tamen sum causa huius consequentis, ergo currit. In isto : absoluta voluntas Dei est causa antecedens voluntatis & actuum voluntariorum, nec tamen est causa peccatorum quæ sequuntur. Pater est antecedens physicum sive causa filij, nec tamen est causa homicidij per eum commissi : Illud ergò quod est causa antecedentis est causa consequentis : potest habere veritatem universalem quando antecedens est causa naturalis & necessaria consequentis ; juxta illud quod est causa cause, est causati causa. Sed ad argumentum ex eo petitum respondet D. Tho. 1. 2. q. 79. art. 1. ad 3. Ob. 6. E qui est causa alicujus est causa alterius quod ei jungitur inseparabiliter, ergo si Deus est causa actus, est etiam causa peccati quod actui jungitur inseparabiliter. *R. 1.* quod nulli actui sit necessariò & inseparabiliter annexa malitia, eo quod non detur ullus actus essentialiter malus : quamvis enim odium Dei, adulteriū, & homicidium sint*

essentialiter peccata, actus tamen humani quibus illa sunt sunt boni secundum substantiam, & secundum à malitia considerari possunt. *Secundo respondeo* ex Capreolo ubi supra quod antecedens verum sit quando illa inseparabiliter confurgit ex natura & essentia actus in se considerati, & non specialiter ex sola relatione actus ad aliquod principium instrumentale vel principale : deformitatis autem peccati, ut dicit S. Th. q. 3. de malo art. 2. ad 2. non consequitur speciem actus secundum quod est in genere naturæ, sed solum prout est in genere moris, & prout sequitur ex principio deficiente. Hinc est quod B. Thom. in 2. dist. 37. q. 2. articulo 2. ad 5. absolute negat antecedens : *Etiam si, inquit, in aliquo effectu plura inseparabiliter conjuncta sint, non oportet ut quidquid est causa ejus quantum ad unum, sit causa ejus quantum ad alterum, sicut natura est causa oculi quantum ad substantiam ejus, & non quantum ad defectum cœcitatibus qua ex natura defectu incidi. Petri quomodo potest esse quod Deus sit causa ejusdem actus cum voluntate, & tamen voluntati imputetur peccatum, & non Deo?* *Resp.* ex S. Thoma 1. p. quæst. 49. art. 2. ad 2. quod effectus causa secunda deficientis reducuntur in primam non deficientem quantum ad id quod habet entitatis & perfectionis, non autem quantum ad id quod habet defectum : *sicut quidquid est motus in claudicatione causatur a virtute motiva, sed quod est obliquitatis in ea, non est ex virtute motiva, sed ex curvitate curvis ; & similiter quidquid est entitatis & actionis in actione mali reducitur in Deum sicut in causam, sed quod est ibi defectus non causatur a Deo sed ex causa deficiente, quia scilicet ab ea caulatur in quantum exit ab ordine causæ prime ut dicit in 2. dist. 34. qu. 1. art. 3. Similia habes 1. 2. q. 79. art. 2. & dicta dist. 37. lib. 2. quæst. 3. de malo art. 2. lib. 3. contra Gent. cap. 71. & 162. Opusc. 3. cap. 141. & declarare possumus familiari exemplo : Propellens claudum ut progrediatur effi causatur progrediatur, & tamen non est causa cur ille progressus sit claudicatio. Quando duo trahunt navem, is qui est alteri causa trahendi non peccat si bono fine id faciat, cum tamen alter peccare possit si trahat in malum finem : *si respondeas* id fieri posse quando sunt duæ cause totales subordinatæ ut defectus referatur in causam proximam & non in remotam.*

Hæc sunt, quæ ad præsens de quæst. difficili dicenda habui. Superest nunc ut qui fatemur Deum causalitate physicâ proprie dictâ causarum secundarum efficientiam non impedire sed prævenire, humiliter eum rogemus ut actiones nostras semper aspirando præveniat & adjuvando prosequatur ; nec vereamur libertatem infringi ab eo qui ut libertatis auctor non minus potest realiter movendo facere ut liberè agamus, quàm ut agamus. Faciat ille ut benè agamus, cujus est totum quod est optimum, & cui debemus initium, progressum & finem boni operis ; & qui etiam rebelles potest propitius ad se compellere voluntates, ut tandem eò perducamur ubi rebelles esse non possumus.

FINIS.